

Curia Romana

Decreto della Congregazione delle Cause dei Santi con il quale si riconoscono le virtù eroiche e la fama di santità del Servo di Dio Isidoro Zorzano Ledesma (21-XII-2016).

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

MATRITENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVI DEI

ISIDORI ZORZANO LEDESMA

CHRISTIFIDELIS LAICI

PRAELATURAE PERSONALIS SANCTAE CRUCIS ET OPERIS DEI

(1902-1943)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Euge, serve bone et fidelis. Super pauca fuisti fidelis; supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui» (Mt 25, 21.23).

Domini Nostri Iesu Christi verba haec bene applicari possunt Servo Dei Isidoro Zorzano Ledesma, qui fuit *servus bonus ac fidelis* equidem *super pauca*: Deum enim hominesque dilexit in ordinariae vitae adiunctis.

Tertius ex quinque filiis Hispanicorum migrantium, Servus Dei natus est Bono Aëre in Argentina die 13 mensis Septembris anni 1902 et baptismum recepit die 5 mensis Aprilis anni 1905. Impenso labore per annos protracto, parentes eius modice locupletes effecti erant et voluerunt ut proles in Hispania institueretur, quapropter illuc profecti sunt mense Maio anni 1905 et domicilium Lucronii constituerunt cum intentione tamen redeundi in Argentinam. Isidorus

scholam frequentavit Fratrum Maristarum, qui eum paraverunt ad primam Communionem, quam annis nondum novem expletis recepit. Paucis post mensibus, anno scilicet 1912, Isidori pater mortuus est et eius mater consilium cepit in Argentinam non redeundi.

Mense Octobri anni 1915 Dei Servus novum condiscipulum cognovit, qui hodie est Sanctus Iosephmaria Escrivá. Iusta intelligentia at magna constantia praeditus, Isidorus studiorum curriculum instructionis mediae et superioris complevit et anno 1919 in Schola Speciali matritensi studia incepit de re machinaria civili. Mortuo Ferdinando, fratre eius primogenito, Dei Servus Lucronium rediit ut matrem comitaretur, paratus quoque ad studia derelinquenda, quae tamen prosequi potuit, quia tota familia Matritum sese transtulit.

Anno 1924 condicio oeconomica familiae grave passa est detrimentum. Iterum Isidorus de studiis derelinquendis cogitavit, ut suo labore familiam sustentaret, at vero instante matre prosecutus est donec anno 1927 titulum obtinuit doctoris machinarii. Professionalem actuositatem exercere incepit in navalibus loci dicti Matagorda prope Gades sed paulo post Malacam sese transtulit ut operam suam praestaret in Viis Ferratis Baeticis utque simul in schola technica doceret.

Dies autem 24 mensis Augusti anni 1930 miliarius est lapis in vita Isidori. Hac enim die colloquium habuit Matrity cum condiscipulo et amico Iosephmaria Escrivá, qui quinque ante annis sacerdotium receperat. Hoc in colloquio Isidorus patefecit suum desiderium ducendi impensioem vitam christianam. Sanctus Iosephmaria eidem explanavit Opus Dei, nondum abhinc duobus annis conditum, quod est via ut unusquisque sanctitatem prosequatur et apostolatum exercent in suo cuiusque statu ac vitae condicione, in labore professionali et in adimpletione obligationum vitae ordinariae. Gratia divina ductus, Dei Servus statim postulavit ut in Opus Dei admitteretur et Malacam rediit, ubi in consuetis occupationibus perrexit, nempe in viis ferratis, in schola technica et in enixa participatione in variis operibus dioecesanis. Adiutricem quoque operam dedit in schola quam gerebant religiosae adoratrices et in sic dicta domo Pueri Iesu necnon in Actione Catholica.

Propter suum agendi modum cum fide christiana congruentem, anno 1932 impugnationes passus est quas instigabat ephemeris quaedam manifeste antichristiana. Dein vero, anno 1936, adunatio syndicalis decrevit eius mortem, quia catholicus erat. Hac de causa Isidorus Matritum fugere coactus est. Paulo post bellum civile exarsit et religiosa persecutio – iam in actu ab anno 1931 – ad violentiae apicem pervenit.

Per totum belli tempus Isidorus Matrity permansit. Tesseram recognitionis valde precariam habens et ideo vitam in discrimine ponens, curam gessit membrorum Operis Dei aliarumque personarum quae in carcere vel in refugiis

clandestinis versabantur: eos frequenter invisebat, cibaria eis deferebat et in spiritualibus eos adiuwabatur.

Mense Iulio anni 1939, expleto bello civili, Isidorus ad laborem suum professionalem in viis ferreis redire potuit, et habitavit qua administrator in domo Universitatis alumnis hospitio recipiendis quam Sanctus Iosephmaria promoverat.

Isidorus Zorzano vir fuit aequabilis, non nimis loquax et caractere praeditus potius reflexivo, in laborando indefessus. Qui eum noverunt commemorant eius affabilitatem ac iucunditatem haud quidem exuberantes eiusque animum ad aliorum necessitates sublevandas semper paratum.

Quod ad virtutes attinet Servi Dei, maximum habet momentum colloquium eius cum Sancto Iosephmaria Escrivá, die 24 mensis Augusti anni 1930, eiusque petitio ut ipsa hac die in Opus Dei admitteretur. Inde incepit continua progressio in vita spirituali Isidori, quae passim pervenit ad unionem usque intimiorem cum Deo atque ad augescentem amorem erga Sanctam Ecclesiam. Isidorus perseveranter sanctitatem quaesivit in mundo manens, qua laicus fidelis, in laeta adimplerione officiorum cuiusque diei, in labore professionali et in multiplicibus adiunctis suae vitae cotidianae.

Fuit ipse in labore summe diligens, in omnibus fidelis, paratus semper ad serviendum collegis, iustitiam inconcusse servans in inceptis indigentibus sublevandis, fidem et caritatem quoque exercitavit in lectionibus cathecheseos et multimodae institutionis pro iis qui in civili societate magis erant derelicti.

In universis suis operibus Isidorus Zorzano et Dei gloriam et proximi bonum quaerebat. Assiduum exercuit apostolatum cum amicis et iuvenibus. Profunda conscientia suae filiationis divinae ductus, perseveranter ac fideliter coluit varia pietatis exercitia ab Ecclesia commendata. Sacrosanctum Missae Sacrificium centrum ac radix fuit vitae eius spiritualis, quapropter impense colebat devotionem eucharisticam et frequenter sacramentum Paenitentiae recipiebat. Crebra pariter erant signa eiusdem devotionis erga Beatissimam Virginem Mariam. Momentum quoque praecipuum tribuebat orationi mentali ac vocali. Spiritum paenitentiae et mortificationis assidue exercuit, praesertim in adimplendis officiis cuiusque diei atque in recipiendis laeto animo difficultatibus ac contradictionibus.

Anno 1941 Dei Servus signa dedit infirmae valetudinis. Post aliquos menses, medici causam morbi statuerunt esse linfogranulomatosis, propter quam mortuus est die 15 mensis Iulii anni 1943, quadraginta annos natus.

Processus Informativus super fama sanctitatis, virtutum in genere et miraculorum instructus fuit Matriri ab anno 1948 ad annum 1961. Novis vero promulgatis normis de canonizationis causis, annis 1993-1994 processus addi-

tionalis instructus est in archidioecesi Matritensi: quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 15 mensis Octobris anno 1994 approbata est. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, qui locum habuit die 17 mensis Novembris anno 2015, affirmative respondit ad dubium propositum circa heroicam virtutum et famam sanctitatis Servi Dei. Me, Card. Angelo Amato moderante, sententiam faventem tulerunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria coadunati die 13 mensis Decembris anno 2016.

Facta de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco accurata relatione ab infrascripto Cardinali Praefecto, Beatissimus Pater, accipiens rataque habens Congregationis de Causis Sanctorum vota, hodierna die sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, iisque adnexis in gradu heroico, Servi Dei Isidori Zorzano Ledesma, Christifidelis Laici Praelaturae Personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2016.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.

Praefectus

L. + S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI

Archiep. tit. Mevaniensis

a Secretis

Ecco una traduzione dell'originale latino del decreto: